

13696

A9 27

C. F. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

EO QUOD JUSTUM EST

1681, 2

CIRCA

REVOCAATIONEM

ALIENATIONIS IN FRAU-
DEM CREDITORUM FACTÆ.

QUAM

PRÆSIDE TRINUNO DEO

EX DECRETO ET AVTHORITATE

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

JURISCONSULTORUM ORDINIS

IN PERANTIQUA RAURACORUM

UNIVERSITATE

PRO

LICENTIA,

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE ET

LEGITIME CONSEQUENDI,

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

SUBIICIT

JOH. THOMAS RUPPRECHT,

MEMMINGENSIS.

DIE APRILIS A. O. R. M. DC. LXXXI.

H. L. Q. C.

BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHL.

27



72

DISPUTATIO ENALIGERALS JURIDICA
BO QUD JUSTUM EST
CIRCA
REVOCATIONEM
ALLENATIONIS IN PRAE
DEM CREDITORUM FACTA

DEO
ET
PROXIMO
SACRUM

LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE HRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE
SOLENNITATEM
JOH THOMAS
MEMMINGENSIS
DIE APRILIS ANO MDCCLXXX
H.L.O.C.

72





7. 7.

PRÆLOQVIVM.



Um, superatis non ita pri-
dem per Dei Gratiam in u-
troque Jure consuetis Exa-
minibus, concessaque ab
Amplissimo Jctorum Illu-
stris hujus Universitatis Or-
dine, inauguraliter Disputandi Licentiâ, me-
cum deliberarem, quam nam præcipuè ex
Oceano Universi nostri Juris materiam Eru-
ditorum disquisitioni proponerem, obve-
nit mihi primum de *Literis Moratoriis*,
quam posthabitis aliis obsoletis rebus, qua-
rum benè multæ in Jure nostro extant, tra-
ctare constitui, motus potissimùm singu-
lari ejus usu, qui fere ubivis locorum ma-
ximè frequens est. Sed cum vidi, sæpius
jam in perantiquâ hâc Universitate de hâc
materiâ disputatum esse, à coepta hujus ma-
teriæ tractatione destiti, & nobilem hanc de
*Revocatione alienationis in fraudem Cre-
ditorum factæ* materiam præ jam dicta In-

A 2

augu



auguralis ut vocant Disputationis loco proponere elegi. De qua itaque acturus, instituto meo satisfacturum me puto, si Wesenbecij nostri, qui secundum *Bronchorstium in Oratione de studio Juris, rectè instituendo suo de Reg. Jur. tractatui annexâ, p.m. 483, omnium felicissimè juris Civilis scientiam ad artem & methodum accommodavit, methodum sequutus, redundantis hinc Actionis Paulianæ naturam, per definitionem, divisionem, causas, effectus, affinia contrariaque progrediendo, secundum LL. nostrarum principia investigarem. Quod, si ubivis locorū minus accuratum me gesserim, adest que me excusat, ipso fatente *Mantzio Com. Rat. reg. ad §. 6. J. de AA. infm.* materię hujus propter multorum textuum obscuritatem, diversorumque Dd. interpretationem, difficultas. Quando quidem verò tum demum benè universa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo, *Novel. 6. pr. animum ad Dei Omnipotentis erigo adjutorium, l. 1. pr. C. de V. J. E.* ut ille, qui una mihi spes, qui animæ mihi dat salutem, laboris hujus mei Principium, & medium & Terminus esse velit. *Novell. 109. pr.**

DIS-



DISSERTATIONIS

De

EO QUOD JUSTUM EST CIRCA
REVOCATIONEM ALIENATIONIS
IN FRAUDEM CREDITORUM
FACTÆ,

CAPUT I.

De Denominatione, Origine & De-
finitione.

TH. I.



Actio Pauliana vel Paulina, vid. *Oldendorp. de Act. Class. 6. act. 1.* (quæ appellatio occurrit in *l. 38. §. 4. ff. de usur.* & quidem uti Jurisdictionis voluntariæ, in *l. 2. ff. de offic. Procons.* item levissimæ culpæ in *l. 44. ff. ad L. Aquil.* semel tantum) nomen accepit à Paulo Præ-tore qui primum eam introduxit Edictoquæ propo-suit. Infrequens enim non est in Jure nostro ut effectus denominetur à suâ causâ, non à Paulo Jcto uti quidam putant, ad differentiam nimirum aliarum actionum revocatoriarum, vel quia Paulianæ actionis nomen in *d. l. 38.* quæ Pauli Jcti est, occurrat. *Schneid. ad §. 7. J. de Aa. n. 12.* hoc enim tum series actionum Prætoriarum in tit. J. Act. relatarum, tum textus disertus, in *l. 1. pr. & passim ff. qua in fraud. Credit.* ut & *d. l. 38. §. 4. ff. de Usur.* non admittit.

A 3

II, Vo-

II.

Vocatur aliàs actio in factum, *l. 10. §. 2. & 18. l. 14. ff. de his qua in fraud. Credit. l. penult. C. eod.* vel 1. quòd actiones Pratoriae soleant appellari in factum, uti *Fassoni* videtur *ad §. 6. f. de Act. n. 27.* vel 2. quòd secundum, seu in factum, nimirum alienationem Debitoris concipiatur *Vult. 16. n. 8.* vel 3. quod, cum duo Edicta de alienatione in fraudem Creditorum proposita sint, in primo ea sola revocata sunt ubi uterque & alienans & accipiens in fraude sunt *l. 1. qua in fr. Cred.* unde dum per secundum actio Pauliana ad alienationem quoque, ubi accipiens fraudis expers est, extensa fuit: evenit ut hoc casu actio in factum dici coeperit, non quod non sit ejusdem naturæ cum Pauliana primæva exprimo Edicto *v. l. 10. qua in fr.* sed quod detracta fraudis mentione, in solum nudumque factum alienationis directa sit, quæ est sententia *Franzk. Exerc. 13. q. 4. n. 34.* Dicitur in super Revocatoria & Rescissoria. Revocatoria ideò quia res alienatæ per eam revocantur, *d. §. 6. l. 38. §. 4. ff. de usur. l. 1. l. 4. C. de revocand. his qua in fraud. Credit.* Rescissoria verò, quia Prætor alienationem illam fraudulentam rescindit. Cum enim talis alienatio summo jure valeat, quippe quæ à Domino facta est, qui facultatem & jus de re sua disponendi habet, opus est, ut Prætor hanc actionem contra alienationem utpote dolo & fraude comitatam concedat, & sic alienationem rescindat.

III.

His positis exinde non est concludendum ac si duplex hic versaretur Judicium, Rescindens nimirum & Rescissorium, & duplici opus esset libello, duplici litis contestatione, duplicique sententia. Eo ipso enim quo Prætor causa cognita dat actionem, rescindit simul,

mul, & restitutionem fieri injungit. *Magn. Dn. Struve Exercit. VIII. l. 3. in f. quâ de causâ & Rescisio & Restitutio*, in uno petuntur libello, hoc modo: peto rescindi alienationem & rescissione factâ, reum ad restituendum vel faciendum compelli.

IV.

Definitio quod sit Actio, Prætoria, realis, annalis, quâ Creditor, id quod Debitor fraudulenter in damnum ejus gessit, post bona possessa revocat.

V.

Generis loco ponitur *actio*. Actio quid sit *ex pr. J. de Act.* cuilibet fortè notum est, nimirum actionem esse jus persequendi in Judicio quod sibi debetur. Hoc remedio illud quod mihi debetur persequor. E. est actio.

VI.

Et quidem Prætoria, à Prætorè Paulo in supplementum juris civilis data. Cùm enim jure civili, quando Debitor in Fraudem Creditorum alienat, alienatio non modo subsistat (cum secundum illud res ex voluntate Domini, præcedente causâ justâ, quoquomodo transferatur ejus Dominium in accipientem, licet fraudis apertæ conscius sit, *l. 22. ff. d. contr. Exept. transeat*) sed nec Creditoribus, contra eum qui rem accepit; aut qui cum Debitore eo nomine contraxit, etiamsi hoc ipso Debitor solvendo non fiat, actio ulla illo jure producta sit: non realis, quia res alienata erat aliena: non personalis quia cum eo, in quem res alienata, non esset contractum. Ideoque Prætor ex sua jurisdictione Creditoribus, rescissa traditione eam rem petere, id est dicere eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse permisit, *d. §. 6. J. d. Aa. l. 1. ff. quæ in fraud. Cred. Hahn. ad Vvesenb. π. τ. quæ in fraud. Cred. n. 6.*

VII. Rea-



VII.

Realis an personalis sit hæc actio inter Doctores maximè est controversum, *Vinnius ad d. §. 6. n. 1. &c. cum glossa, VVesenb. n. n. 6. Oldendorpio Class. 6. act. 1. q. 3. in pr. Mynsing. ad dict §. n. 19.* aliisque, contendit personalem esse, hisce potissimum ductus argumentis 1. quod Creditores non vindicent aut rem suam esse intendant 2. quod non semper detur adversus Possessorem, nisi & fraudis fuerit particeps aut rem ex lucrativa causa acceperit *l. 9. ff. quæ in fraud. Credit. l. pen. C. eod. 3.* quod hæc actio passim in factum appelleretur *d. l. 10. eod.* quo nomine quæ appellantur, omnes in personam sint. 4. quod cum Fabiana quæ personalis, conjungetur ob maximam ejus cognationem imò quod Imperator *in d. l. 38. §. 4. ff. d. usur.* hanc actionem inter Actiones quæ in personam sunt, numeret.

VIII.

Non attentis autem hisce argumentis potius pro reali concludo, quia in possessorem rei dirigitur, & res ab illo hæc actione revocatur, quod proprium actionum realium est *l. 28. ff. de O. & A. l. 178. §. 2. de V. S. & inter reales refertur. d. §. 6. vid. Magnif. Dn. Struve Exer. 44. 0. 74.*

IX.

Facilis verò ad argumenta Vinnij aliorumque pro personali pugnantium est Responsio: & quidem ad 1. respondeo, quamvis Creditor bona alienata principaliter non vindicat, per bonam tamen consequentiam rem suam esse intendit. Dominium enim quod fuit Debitoris, per fictionem tribuitur actori seu Creditori, quod ipsum ad revocatoriam sufficiens est. Ad 2. rehero, non esse perpetuum, illam demum esse actionem realem quæ semper adversus Possessorem datur,



datur, alias Publiciana quæ non aduersus omnem competitor possessorem l. 9. §. 4. l. 16. 17. ff. de Publ. in rem acti. & alia, etiam non essent reales cum tamen absq; omni dubio reales sunt, § 3 J. de Act. l. 7. §. 6. 8 ff. de Publ. in rem acti. Quod autem non simpliciter res alienata à Possessore vindicatur, ut in aliis actionibus realibus fieri solet, Prætor æquitate motus illam sic formavit, ut ne nimis Creditoribus faveret & sic Possessoribus injuriam faceret. Dn. Struv. de Ex. 44. §. 74. Ad 3, simpliciter non verum est actionem in factum semper esse personalem arg. l. 11. §. 1. ff. de Jurej: ubi gloss. l. 7. ff. de Publ. in rem acti. ad 4. conjungitur cum Faviana non eo fine quasi ejusdem naturæ & generis sint (maximè enim eas invicem differre in cap. ult. monebitur) sed ratione fructuum de quibus in d. l. 38. §. 4. tractat Imperator, & quales in utraque actione in restitutionem veniant monstrat, itaque de alia intentione Jcti duas has actiones conjungentis ad earum eandem naturam firmiter inde nihil concluditur. Ad 5. negatur descendere ex Obligatione & debitoris delicto, cum sic non daretur aduersus donatarium, qui fraudis est expers, contra l. 6. §. II. que in fraud. credit. factum enim Debitoris & fraudulenta alienatio hic non est causa efficiens, sed tantum causa sine quâ non & occasio. Admittendam tamen esse actionem Paulianam personalem putat Dn. Schuven-dendorffer. Action. Forens. cap. 11. Memb. 1 X. §. 3.

X.

Dixi esse annalem l. 1. ff. d. t. ratio est, quia est Prætoriana, quæ remedia plerumque annalia sunt. Hinc intra annum est instituenda & quidem utilem, qui etiam 365. constat diebus, sed non computantur dies feriati, nec currit annus utilis diebus feriatis, & quibus quis impeditus est agere, vel non habita copia Judicis

B

gl. in

gl. in fin. C. de tem. in integr. restit. & l. i. de divers. & temp. praescript. Schneidov. ad S. 5. J. de Act. n. 65. non continuum. l. 10. pr. ff. qua infr. Cred. l. ult. C. eod. Junge l. 35. de O. & A. & est textus planus in l. 6. §. 14. d. t.

XI.

Quod duobus tamen modis limitatur 1. illud eatenus procedere quatenus non ex causa lucrativa res ad aliquem pervenit: nam tunc perpetuo tenetur. Iniquum enim Praetor putavit, in lucro morari eum, qui lucrum sentit ex fraude: idcirco lucrum ei extorquendum putavit. Sive igitur ipse fraudator sit, ad quem pervenit, sive alius quivis, competit actio in id quod ad eum pervenit, dolove malo factum est, quo minus perveniret. *l. 10. §. pen. d. t.* & sic Scabini Lipsiens: in causa donationis fraudulentæ responderunt mens. Junio 1632. auffn Jahl die angeführte donatio in fraudem Creditorum geschehen / seyn die Gläubiger actionem Revocatoriam anzustellen wohl befugt / mit welcher action sie aber nach gelegenheit dießfalls / weil ihr des Schuldners mobilia ex causa lucrativa erlangt / auch nach verflossener Jahrs frist / zugelassen werden. *B. N. W. vid. Dn. Carpz. Jurisp. Forens. P. 2. C. 3. d. 30. item 1. Resp. 83. n. 19.*

XII.

2. Non procedit dicta sententia in actionibus seu rebus incorporalibus alienatis, veluti si debitor in fraudem Creditorum liberasset suum Debitorem, sibi que actionem competentem remisisset, ad revocandam enim illam liberationem, non utilis tantum annus datur, sed tantum tempus, quantum actio illa debitoris durasset. *d. l. 10. §. 23. Schneidov. ad Sapius d. §. 6. n. 82.*

XIII.

Ex quo autem die annus hic computari debeat, non eadem

eadem est Dd. Sententia. Quidam putant computandum hunc annum esse ex die venditionis bonorum, per text: *in l. 6. §. ult. & l. 10. §. 18. ff. d. t.* h. e. ut interpretantur, ex die alienationis & fraudulentæ venditionis à Debitore factæ, *Wesemb. π. d. t. n. 12.* Aliis tamen rectius videtur, intelligendam esse istam venditionem, quæ fit post excussionem factam in bonis residuis & nondum alienatis. *Bach. ad Wesemb. n. 10. Treutt. Vol. 2. disp. 24. §. 5. lit. F.* ratio est, quia ab illo die incipit hic annus currere, quo experiundi sive conveniendi potestas fuit, *l. 1. pr. d. l. 6. §. ult. l. 10. pr. ff. d. t.* sed antequam bonorum excussio & venditio fit, ut notorium sit, principalem solvendo esse nec ne, agendi potestas non est, & possessor bonorum conveniri non potest. E. nec prius currit annus utilis. *Schneidvv. ad. d. §. 6. n. 83.* non valenti enim agere non currit præscriptio *l. 1. §. ult. C. de annal. except. Myns. ad cit. §. n. 53. & seqq.*

XIV.

Denique verba definitionis, post bona possessa: non hoc intendunt, ac si pro iis tantum bonis revocandis actio hæc competeret, quæ debitor alienavit post bona à Creditoribus possessa, uti quidam explicant *verb. d. §. 6. bonis ejus à Creditoribus possessis*, sed si debitor metuens immissionem & distractionem, ante immissionem animo fraudandi rem alienet, & post possessis bonis iisque excussis appareat bona non sufficere, tunc dabitur hæc actio. *l. 1. §. 1. l. 15. h. t. l. 1. C. eod. Dn. Struv. d. disp. §. 74.* verba enim hujus §. non ad tempus factæ alienationis, sed intentandæ hujus actionis referendæ sunt. *Vinnius ad h. §. n. 7. in f.*



De Divisione.

I.

Definitionem excipit divisio, quam nullam invenio nisi velimus illam dividere *in generalem*, quâ non solum alienationes, sed alia quoque negotia in fraudem creditorum gesta rescinduntur, utputa, usucapiones, Acceptilationes, Oppignorationes, &c. *l. 1. §. f. l. 2. l. 3. ff. l. 2. C. d. t.* Et *specialem* quâ revocantur alienata, quæ locum non habet, nisi sit alienatio propriè sic dicta facta in fraudem Creditorum, quæ ipsa nota est actionis Paulianæ. *l. 38. §. 4. ff. de usur. l. 1. pr. & §. 1. de his que in fr. credit.*

II.

De quâ posteriori ista quæstio consideranda esset, an *d. §. 6.* de Pauliana tractetur? quod veteres omnes affirmarunt. Aquorum sententia primus recedit *Donnellus ad d. §.* quem secuti sunt *Hunnus vol. 2. disp. 24. t. 5. Færster Junior disp. 3. de Action. §. 6.* aliique quos refutat *d. l. 38. §. 4. ff. de usur. & Franzk. Exer. 13. q. 4.* ad quem benevolam Lectorem remitto.

De Causa Efficiente ac Impulsivâ.

I.

Causa Efficiens hujus Act. vel est Remota vel Proxima. Remotam Prætorum esse è *cap. 1. §. 6.* facile constat. Jure enim civili uti *l. 6.* dictum, cum creditoribus ad res in fraudem alienatas nullum dabatur remedium ad illas repetendas, & tamen iniquum foret creditores defraudari debito, Prætor actionem hanc introduxit, *l. 1. h. t. §. 6. J. de AA.*

II. Cau-

II.

Causa Proxima hujus actionis uti Personalistæ volunt, non est uti superius *cap. 1. §. 9.* demonstratum fuit, (& hoc ulterius demonstratur, quod Revocatoria sæpe locum habeat, ubi Rei ipsius ac Possessoris fraus non intercessit, exempli grat. si debitor aliquid in fraudem creditorum donaverit: *l. 6. §. 11. ff. d. t.* quamvis enim Donatarius bona fide acceperit, lucrum nihilominus ipsi extorquetur, nam non queritur, an sciente eo cui donatum, gestum sit, sed hoc tantum an fraudentur creditores? *l. cit.*) maleficium, nec Jus pignoris ex immisione competens ut quidem statuit *Hahn. de Jure Rerum concl. 29.* actio enim de pignore prætorio, quæ datur, non est Prætorica sed Civilis *l. f. C. de Prætor. pignor.* inque ea nulla opus est fictione, quæ tamen in actione Pauliana deprehenditur *d. §. 6.* accedit quod non tantum immissis, sed aliis quoque creditoribus defraudatis datur actio revocatoria *l. 10. §. 1. ff. d. t.* Sed est Dominium, quod à Debitore in Creditores translatum fingitur, id est fictum Dominium debitoris cujus nomine Creditores in possessionem missi agunt ut procuratores in rem suam *l. 10. §. 1. l. 1. d. t.* Dominium enim verum transit in accipientem. *l. 26. in f. de contr. Empt. Vultej. ad §. 6. §. de Act. n. 59.*

III.

Causa Impulsiva, sine qua non, & occasio, quæ Prætor motus introduxit hanc actionem, est Factum Debitoris & fraudulenta alienatio. Quod verbum generale est, & omnem patrimonii deminutionem denotat in fraudem Creditorum factam, sive agat quid sive ommittat: & agendo vel semet indebite obliget: ut si testamento, vel inter vivos, caveat se debere quod non debet *l. 28. pr. ad Soltum. Vellej.* vel illud quod debetur



ficisci, quod de alieno plenius restituunt, voluntatem gratis remittat: ex. grat. si debitorem acceptilatione, aut pacto liberavit. *l. 1. §. 2. l. 17. ff. quæ in fraud. Credit.* vel denique Dominium in re competens in alium transferat: ut si rem suam pro derelicto habeat, ut eam alius suam faciat. *l. 5. ff. eod. quod l. 1. §. 2. cum l. seqq. ff. d. t. l. 28. ff. d. V. S. vid. Colleg. J. A. h. t. 0. 3.* quo referendum si bona allodialia in feudalia converti curaverit, de quo infra cap. V. th. 7.

IV. Omittendo, si data opera ad Judicium non adsit, & sic litem mori patiatur *l. 3. §. 1. d. t.* vel à Debitore non petat ut tempore liberetur, aut usumfr. & servitutum non utendo amittat, *d. §. 1. l. 3. l. 4. eod.* aut rem suam usucapi passus sit. *d. l. 28. d. V. S.* sive quoquo modo faciat, ut minus in bonis habeat, hæc omnia rescindi & revocari debent. *l. 3. §. 1. d. t.*

V. Non alienare Debitor videtur, si occasione acquirendi non utatur: v. g. si hæreditatem sibi delatam repudiat, vel legatum sibi relictum negligit, vel pecuniam quam domi habet otiosam, ad usuras non collocat. Ideoque Jure Civili & moribus nil vetat, quominus filius paternam hæreditatem, adeoq; & ipsam legitimam in Creditorum præjudicium possit repudiare. *Fachin. l. 13. contr. 46.* quia hoc Edictum pertinet ad deminuentes Patrimonium suum, non ad eos qui id agunt ne locupletentur *l. 6. pr. & §. 2. ff. d. t.* Et ita judicavit suprema curia Frisicæ apud *Sand. lib. 3. Decis. tit. 13. d. 3.* junge *Perez. in C. de his quæ in fr. credit. n. 13.* quod in foro Gallicano antiqua tum esse testatur *Mornac. ad l. 68. §. 1. ff. pro soc.* hisce verbis, *sed iniquam esse hanc subtilitatem juris Magister rerum usus docuit. Abrogata est tamen anno 1589. pronuntiatio in purpuris ad paschales ferias Scto, quo ejusmodi facta est creditoribus in fraudulentum*

lentum quemlibet debitorem potestas, ut compelli ab eis possit ad petendam legitimam, cedendasque ipsis suas actiones, quibus surrogentur ad adeundam hereditatem qua obtigit. Idemque refert Papon. lib. 18. Arrest. tit. 5. Appendic. Arrest. 7. in Germania tamen præprimis Saxonia firmiter adhuc observatur, uti videre est ap. Dn. Carpz. p. 3. Const. 23. def. 21. Berlich. Decis. 114. Matth. Wesenb. Cons. 17. n. 42. & seqq.

VI. Quoad legatum tamen dubium facit, l. 64. ff. de furtis, quâ dicitur quòd ea quæ legantur rectâ viâ transeant ab eo qui legavit, ad eum cui legata sunt. Si itaque transeunt legata rectâ viâ ad legatarium, sequitur quod debitor legatum sibi relictum repudians aliquid ex Dominio alienet, quoniam per repudiationem amisit rei legatum Dominium, quod à morte testatoris vel certè ab adita hæreditate, statim ignorans etiam consecutus est. Sed si consideratur quod licet legatum retro nostrum sit si non repudiatur, nostrum tamen retro non sit si repudietur l. 1. §. 6. ff. si quod in fraud. Patron. l. 86. §. 2. ff. de Leg. 1. dubium amplius non affert.

VII.

Dubium aliquando fuit, an & is videatur alienasse, qui quartam Falcidiam ex hæreditate legatis exhaustâ, ut & Trebellianicam deducere omisit? Et negarunt Jcti Papinianus l. 19. & Callistratus. l. 20. ff. quæ in fraud. ut & Imper. Severus & Anton. in l. 1. C. ad L. Falcid. quia qui spernunt hocce beneficium sibi delatum pleniore potius fidei præstandæ officio fungi videntur, & Officiosa in defunctum pietate duci quam quicquâ donare: & ut dr. l. 19. & c. l. 20. d. t. & l. 5. §. 15. w. de donat. inter Vir. & Uxor. quia in his casibus plerique fidem magis exolvunt, quam donant: nec de suo putant proficisci



defuncti secuti, fidemque exolventes : ut hæc omnia
elegantè Jctus *in d. l. 5. §. 15.* Quid juris de marito qui
lucro Dotis & mobilium in præjudicium creditorum
renunciat. *vid. Carpz. d. def. 21.*

VIII.

Aliter se res habet 1. in debitore Fisci, qui si non u-
titur occasione acquirendi, in fraudem Fisci facit, *l. 45.*
ff. de Jur. Fis. non obstante *l. 26. ff. eod.* specialis enim ibi
casus proponitur. *vid. Wissenb. π. ad h. t. n. 12.* item Ja-
cob. Gothofred. *ad R. J. 134. th. 4.* Idem est in Pupillo.
Qui absque Prætoris Autoritate fundum legatum non
potest repudiare, est enim hæc alienatio, cum res est
Pupilli : quia & in lucro huic succurri debet. *l. 7. §. 6. ff.*
de minorib. l. 5. §. 9. ff. de reb. eor. qui sub tul. vel. cur.

CAP. IV.

*De Subjecto tam Activo quam
Passivo.*

I.

Visa Definitione, Divisione, causis Efficiente & Im-
pulsiva, sequitur ut paucis etiam agam, quibus & ad-
versus quos actio hæc nostra Pauliana detur.

II.

Datur hæc Actio Creditoribus eorumque hæredi-
bus *l. 10. §. fin. d. t. Domin. Struv. Exercit. 44. thes. 75.*
& quidem omnibus in cujus fraudem alienatio su-
scepta est, quibus ex quâ cunque causâ debetur. Hinc
datur non solum illis quibus ex contractu vel qf. de-
betur *l. 10. de V. S.* sed etiam ex delicto hæc actio da-
tur, ad revocandas nimirum res alienatas, ab eo qui
tenebatur ex delicto, ut in actione injuriarum, furti
vel L. Aquiliæ, vel ex quasi delicto, ut quia effunden-
do læ-

do læsit vestes prætereuntis. *l. 12. ff. de V. S.* Est enim & hic Creditor cum delinquens poenæ se obligasse videatur. *l. 52. §. 8. l. 25. §. pen. ff. de O. & A.* & crimen, fraudem, delictum, malum, contrahere dicamur. *l. 8. ff. de Publicanis l. 15. l. 31. ff. de Donat. l. 52. ff. Rejud. l. 2. C. ad L. Jul. de Adult. l. 2. C. de condict. ob turp. caus. Corvin. ad d. l. 12. de V. S.* nec minus debitor est qui ex delicto debet quàm ex contractu. *S. ex quibus J. de poen. temer. litigant.* Competit Creditoribus in diem, veluti si debitor obligatus ad solvendum 1. Decembris, alienaret interim bona sua in fraudem creditorum: est enim obligatio nata licet dilata sit in diem *l. 213. ff. de V. S.* imò etiam creditori sub conditione conceditur, si est purificata conditio. Conditio enim tunc retrotrahitur, in id tamen tantùm agit ut securus sit veniente conditione. *Zaf. ad d. §. n. 16. & 18.* quia si conditio existit, parata est obligatio & quiscunque ejus effectus.

III.

In casu, Titius constituit magnam pecunię summam, mutuo accipere, & antequam hoc facit, animo fraudandi alienavit bona sua, & deinceps accepit pecuniam mutuò à Cajo. Quæritur an Cajo futuro creditori hæc revocatoria competat, ad revocanda bona alienata per Titium, antequam efficeretur debitor Caij? & dist. secundum *Jctum Ulpian. in l. 10. §. 1. l. 15. & 16. ff. h. t.* aut Creditor est simpliciter acceptus h. e. explicante Ulpiano, non ut priores Creditores ipsius pecunia dimitterentur & non datur; aut eum in finem est acceptus futurus Creditor, ut priores accepta pecunia dimitterentur, atque sic in locum horum quasi succederet, & datur. *d. l. 10. §. 1. Schneidvv. ad S. 6. n. 22. V.*

IV.

De Hypothecariis Creditoribus, an & his detur actio

C

no-



nostra, sunt qui ambigunt, eam ob rationem, quod sit subsidiaria, hi autem Hypothecariâ suum jus possint persequi. Verum ob generalitatem textus magis concludendum & his nimirum Hypothecariis competere, neque enim obesse debet Creditoribus adhibita diligentia ac vigilantia, quâ sibi hypothecam acquisivere. Quid? quod scipius interesse possit Creditoribus, ut habeant actionem hanc potius, quam hypothecariam, vel ex eo, quod non opus sit tam longo circuitu, antequam ad distractionem pignoris deveniatur, uti videre est in *l. fin. C. de jur. Dom. impetr.* tum etiam quod in hypothecariis multis sæpe probationibus, iisque difficilius oneretur, quibus sublevatur, movendo actionem hanc, exhibendoque instrumentum per quod fraudis probatio plerumque dicitur. *Perez. C. h. t. n. 4. & Zoes. comment. ad h. t. n. 2.*

V.

Aliis verò ut ipsi fraudatori ejusque hæredibus, quam ipsis Creditoribus ejusque hæredibus actio hæc non competit, sicut enim hæc actio datur creditoribus ut fraudatis, non verò ipsi fraudatori, ita creditorum hæredibus datur. *l. 10. S. fin. inf. h. t.* non verò hæredibus Fraudatoris, qui factum defuncti sui debitoris impugnare. *l. 14. C. de R. V.* nec turpitudinem defuncti allegare possunt. *Tusch. concl. 404. l. T.* Hinc filio succedens Patri pro consequendâ legitimâ, alienata nequit revocare. *l. 4. C. h. t. ibiq. Brunm.* neque datur uxori ob portionem statutariam. *Dn. Struv. Exer. 44. §. 75. in f.*

VI.

Curatori tamen bonorum etiam si Creditor non sit, locum autem eorum occupat, bonaque eorum administrat ex *l. 1. pr. h. t.* competit, qui curator actionem hanc non tantum ipse, sed etiam per alios exercere potest;

potest; & quidem ante litem contestatam per Actorem, post verò per Procuratorem *l. 2. §. 1. ff. d. Curat. bon. dand.* Neque denegatur legatariis & fideicommissariis in quorum fraudem res ab hærede alienatæ sunt. *Schneidevv. ad d. §. n. 22. III. Dn. Struv. l. c.*

VII.

Alterum Subjectum nempè Passivum contra quos Actio hæc datur, sunt possessores bonorum debitoris, in quos fraudulenter res translata est. Non tamen indistinctè, *aut enim* translata res est titulo oneroso & quidem *interveniente* amborum fraude, & sine dubio datur & sic alienata revocantur à tali possessore, etiam non restituto pretio. *l. 7. ff. h. t.* nisi uti limitat *l. seq. 8.* Nummi soluti in bonis extent. Quo etiam pertinet si testato conventus, id est admonitus fuerit quis à creditore ne emeret, & nihil ominus emerit, quantumvis ab initio Contractus omnis fraudis fuerit expers. *l. 10. §. 3. ff. h. t.* quia fraus & dolus nemini patrocinari debet. *l. 1. ff. de Except. Dol.* Nocet quoque Tutoris Curatorisque scientia Pupillo, Adolescentibus, Furiosis, quatenus ad eos pervenit. *l. 10. §. 5. eod. Aut solius* debitoris intervenit fraus & non tenetur hæc actione, etiam si sciat eum habere creditores *l. 10. §. 4. eod.* nec Revocatoriâ hæc conveniri potest qui consentientibus Creditoribus aliquid à fraudatore emit vel stipulatus est, vel quid aliud contraxit, nam nemo videtur fraudare eos qui sciunt & consentiunt. *l. 6. §. 9. eod.* Quæ de Debitore privati intelligenda veniunt, non autem Civitatis vel Fisci: quia ibi sufficit fraudem à parte alienantis intervenisse, licet accipiens sit in bona fide. *l. 2. C. de Debit. Civil.* nec locum habent in Patrono, quia is bona revocat alienata, etiam ab Emptore qui fraude caret. *l. 1. §. 12. ff. si quid in fraud. Patron.* ratio diversita-

tis hæc est, quia Patronus revocans alienata per Liberum, tenetur refundere pretium. *d. §. 12.* & sic gravatur in uno, quo relevatur in altero. *l. 30. in pr. d. Jurejur.*

VIII.

Aut translata est res titulo Lucrativo. v. g. titulo donationis aut legati, & conveniri potest talis possessor, etiamsi de fraude nihil participaverit, non enim hic quæritur, an sciente eo cui donatum, gestum sit, sed hoc tantum, an fraudentur Creditores? nec videtur injuria affici qui ignoravit, cum lucrum extorqueatur, non damnum infligatur. In hos tamen qui ignorantes, ab eo qui solvendo non est, liberalitatem acceperunt hæctenus, actio erit danda, in quantum locupletiores facti sunt, ultra non. *l. 6. §. II. eod.* unde si perdidissent, & profligassent res donatas, in nihil tenerentur Creditoribus, ut declarat *Zasius ad §. 6. Schneidevv. n. 46.* Incidenter hinc quæritur an lusûs titulus lucrativus sit an onerosus? *Bald. in l. 1. inf. C. si quid in fraud. Patron.* dicit, quod, licet ludentes apponant pecuniam, vigilant, sudant, macerantur, perdunt pecuniam, aliquando lucrantur, tamen dicuntur habere titulum lucrativum, etiamsi alias multa perdiderunt. Cum verò hoc lucrum illicitè quærat, illud quod perditum est revocari potest. Nisi in ludo admissio aliquid lucrati fuerint, tunc enim revocationem admittendam esse non puto. *vid. Schneidevv. l. c. n. 35.*

IX.

An Dos inter titulos lucrativos numerari veniat, & sic revocanda, si in fraudem fortè fuerit data, quæritur, & R. Est lucrativa ex parte Filiae & sic revocanda, est onerosa ex parte Mariti cum ipsi pro oneribus Matrimonii sustinendis, ut pro subministrandis ægrotae Uxori alimentis, Medicinis & aliis Necessariis. *l. 13. C. de Neg.*



Neg. gest. detur, quæ Maritus sustinere cogitur *l. 20. C. de Jur. Dot.* & non tenetur hoc Edicto, nisi fraudis sit conscius. *l. ult. §. 1. ff. h. t.* Si Vir Uxori, cum Creditores suos fraudare vellet, soluto matrimonio præsentem dotem reddidisset, quam statuto tempore reddere debuit: hæc actione Mulier tantum præstabit, quanti Creditorum intererat, dotem suo tempore reddi: nam præter fraudem etiam in tempore fieri intelligit. *l. 17. §. 2. ff. h. t.*

X

Datur hæc Actio etiam contra Hæredes & Successores ipsorum Possessorum in quantum ad eos pervenit, & sic non quâ Successores, sed quâ Possessores, contra Vinnium. *ad §. h. n. 2. l. 10. §. ult. l. 1. h. t.*

XI.

An contra ipsum fraudatorem Actio hæc detur etiam inter difficiles intricasque quæstiones refertur. Inutilis quidem videri poterat hæc quæstio, cum Actio hæc non detur nisi excusso debitore, quod si ergo Debitor est excussus, quorsum in egenum hæc remedia & subsidiariæ actiones proderunt? nam *wo nichts ist/da hat der Käyser sein Recht verlohren.* Tamen Actionem Paulianam competere etiam contra fraudatorem alienantem Prætor in Edicto *in l. 1. pr. & Venulejus in l. 25. qua in fraud. Credit.* asserunt, Ad quid verò? non certè ad restitutionem rei alienatæ in statum pristinum, quia sic dispersit, ut non appareat, sed ad effectum longè alium, ad certam nimirum pœnam fraudatori infligendam. *l. f. §. f. eod.* quam Pœnam Doctores de pœna Carceris explicant. *Wesf. & ad eundem Bach. π. n. 19. h. t.*

XII.

Vidimus adversus quos detur, consequens est ut videamus adversus quos non detur? Non datur itaque

C 3

1. ad-



adversus eum, qui à primo Emptore mala fide emente, bona fide emit. *l. 9. ff. eod.* quia dolus duntaxat ei nocere debet qui eum admisit. Is autem qui dolo malo emit, & b. f. ementi easdem res vendidit, solidum precium rei, quod à bonæ fidei emptore accepit, creditoribus revocantibus restituere cogitur, precium enim hîc loco rei succedit. *d. l. 9. in f. vid. ibi Bart.* non officit quod amplius non possideat, creditur enim possidere qui dolo malo possidere desit. *l. 14. ff. eod.*

XIII.

2. Non datur adversus eum qui fugientem cum pecuniis debitorem persecutus est, & extorsit ei tantum, quantum ipsi debebatur, cum sic sibi vigilavit, conditionemque suam meliorem fecit: & jus vigilantibus scriptum sit. *l. 24. h. t.* Nisi ablatum fuit post factam missionem, tunc enim revocatur. *l. 10. §. 16. eod.* non obstante *l. 24. ff. eod.* verba enim si cum in eo esset ut debitoris mei bona venirent, civiliter intelligenda sunt, non ut significant missionem jam factam, sed potius futuram, i. e. ita inopem & obæratum fuisse debitorem, ut jam animo meo conjicerem, mox evigilatos & reliquos creditores, ac bonorum possessionem postulatos, *vid. Wesenb. w. h. t. th. 20.* Neque dicendum est hujusmodi Creditorem incidere in pœnam *l. 13. ff. q. met. caus. & l. 7. C. und. Vi.* quod rem debitam propriâ autoritate occupet, cum textus illi tum demum procedant, ubi facultas est experiundi ordinariis Juris remediis, quæ Reo fugiente institui nequeunt. *Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. §. 5. l. c. Cujac. lib. 16. observ. 19.*

XIV.

Restat ut perquiram, an ille qui debitam pecuniam recipit, cum non ignoraret debitorem solvendo non esse,

esse, in Edictum hoc incidat? Et elegans ad hanc questionem Ulpiani est Responsum, quod ex Labeone & Juliano refert *in l. 6. §. 6. & l. 7. ff. h. t.* in quo distinguit utrum fuerint à Creditoribus possessa nec ne: priori casu incidit in Edictum, & ideo in portionem vocandus est, & exaequandus cæteris Creditoribus: neq; enim debuit præripere cæteris post bona possessa, cum jam par conditio omnium Creditorum facta esset. Posteriori casu si quis debitam recepit pecuniam, non timere hoc Edictum debet, sibi enim vigilavit. Excipe, si debitor, instantibus & urgentibus solutionem pluribus Creditoribus, uni ex illis potius gratificari voluit, quàm aliis, & præposuit Creditorem Creditori, fortè dicens, ego satisfaciam tibi præ omnibus aliis, etiamsi alii demergantur, non curabo. *l. 24. ff. eod. l. 6. §. 2. de reb. aut. Jud. possid. Domin. Carpzov. Jurisp. Forens. p. 1. Const. 28. d. 178. n. 4. & p. 2. c. 44. d. 13. Mevius l. 3. t. 1. art. 3. n. 32. Sand. Decis. Fris. tit. 13. def. 1.* Hinc etiamsi uni ex Chirographariis solutum quidem non fuerit, sed in verus creditum pignus acceperit, non valet, sed actione Pauliana revocatur. *l. 10. §. 13. quod supremum Fris. senatum judicando secutum esse, refert Sand. l. c. vid. Dn. Struve Synt. J. C. Exerc. 44. §. 80.*

XV.

Quod, solutione nimirum ante missionem factâ, distinctè tamen est accipiendum, & dist. inter Creditores pari jure fruentes, & quorum alii aliis ob jus potius præferuntur. Primi generis Creditores, id, quod uni ex illis solutum, nequeunt revocare. *d. l. 6. §. 2. de reb. aut. Jud. poss. l. 6. §. 7. h. t.* sic chirographarii nudi nequeunt repetere aliis Chirographariis solutum, nec Chirographarii privilegiati, ab aliis Chirographariis privilegiatis. *Dn. Carpz. d. def. 178. n. 1. d. 179. n. 1.* secundi generis Cre-

Creditores quod attinet: illi, qui potius Jus habent, revocabunt quod alteri qui minus Jus habet, solutum est, sine tamen usuris mediis temporis. *l. 18. §. ult. l. 19. ff. d. Jur. Fis. l. 5. C. de Privileg. Fisc.* Hinc privilegiati Creditores & Hypothecarii repetunt solutum Chirographariis nudis, *Dn. Carpz. d. 179.* & Hypothecarii priores pecuniam posterioribus solutam, *Carpz. def. 180.* ita tamen ut prius excussio præcedat Debitoris, *Carpz. def. 181. de cæteris vid. C. J. A. h. t. §. 7.*

XVI.

Ultimo loco quæritur an filius qui paternam hereditate abstinuit, à Creditoribus Parentis actione hæc conveniri possit? Et communiter statuitur non posse, nisi Pater ipsi aliquid donasset in fraudem Creditorum, quod in donatione omnium bonorum jura nostra præsumunt. *l. 17. §. 1. ff. h. t. l. 3. C. eod. Bart. in l. cum quid. n. 14. ff. de R. Credit. si cert. pet. Alex. V. 4. cons. 108. n. 5. Felin. ad c. fin. d. Libell. obl. Mascard. conclus. 816. n. 21.* imò etiam si majorem partem bonorum donasset, vel alio titulo oneroso majorem partem alienasset. *pl. 17. p. 1. ff. h. t.*

CAP. V.

De Objecto.

I.

Quòd hæc actione petatur supra *cap. 3. §. 4. & seqq.* aliquo modo dictum fuit. Petitur nimirum hæc actione, ut omne, quod in fraudem gestum, rescindatur, & in bona debitoris res restituatur. *d. §. 6. J. d. Act.*

II.

Restituuntur ergò hæc, actione non solum res mobiles, verum etiam immobiles, res Corporales & Incorpora-

porales, veluti quando debitor alienavit servitutem sibi debitam, vel usumfructum, Jurisdictionem, Jus vetigalis vel simile aliquid. Sic competit si debitor rem pro derelicto habuit, donavit, vendidit. Item quando debitorem pacto liberavit, pignora ipsis remisit, aut exceptiones illis quas in rei veritate non habebant præbuit. Si litem mori passus sit, in causâ appellationis fatalia labi permisit, vel hypothecam fraudulenter constituit, aut alium fraudandorum Creditorum causâ præposuit, vel in fraudem Creditorum se obligavit, aut quocunque modo aliquid fecit, quo desineret id habere quod habebat, semper hæc actio datur. *l. 1. 2. 3. 4. 5. l. 10. §. 12. l. 14. & c. ff. h. t. vid. Mynsing. n. 7. 8. Schneid. n. 17. Treutl. Vol. 2. disp. 24. §. 5. l. c. C. J. A. §. 8. Vinn. ad §. cit. n. 6.*

III.

Insuper rei etiam fructus revocantur, qui tempore alienationis Terræ cohærebant, quia in bonis fraudatoris fuere, & qui post inchoatum Judicium percepti erant & percipi poterant. *l. 10. §. 20. l. fin. §. 2. h. t.* non autem qui medio tempore, h. e. inter alienationis & litis contestatæ tempus percepti, quia in bonis debitoris nunquam fuere. *l. f. §. 4. h. t.* Cui sententiæ adversari videtur *1. l. 10. §. 22. ff. eodem.* ubi etiam medij temporis commoda restitui dicuntur. Sed *R. cum gloss. & Bart.* Ulpianum hîc de quovis alio commodorum genere ob textum *l. ult. §. 4. eod.* quam fructibus, alienationis tempore pendentibus, loqui. *2. §. 35. J. d. R. D.* quo malæ fidei possessor omnes fructus restituere tenetur etiam consumptos: ast qui fraudem in contractu adhibuit est malæ fidei possessor. Ergò 3. contrariari denique videtur ratio ista, qua propter actionem nostram res ita revocantur, ut in bonis debitoris semper mansisse censeantur, per *l. 38. §. 4. de usur.* Enim verò si medij tem-

D po-



poris fructus detrahantur, non potest videri res semper in Debitoris bonis mansisse, cuius fructus medio tempore percepisset. Sed & alium Rei vindicationis, alium verò nostræ Revocatoriaë effectum esse: in illa omnes fructus percepti à malæ fidei possessore restituantur, *l. 22. ff. de R. V.* in hâc id saltem agitur, ut res ipsa in pristinum statum redeat, scil. ut res ipsa fructusque pendentes, qui in bonis erant debitoris alienantis, & præterea fructus à tempore litis contestatæ percepti & percipiendi propter moram restituantur: medios autem ipse possessor retinet, tum quod in bonis Debitoris uon fuerint, tum quod rem à Domino distrahi non ignoraverit, licet in fraudem alienari cognosceret. *vid. Hahn. ad Wesenb. h. n. 11. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. §. 5. lit. E.* Fructus autem non intelliguntur, nisi deductis prius impensis. *l. 10. §. 20. ff. eod.*

IV.

Quoad Usuras medii temporis, quatenus scil. obligatione est remissa, aliud quid obtinet, quam in fructibus. Restitutâ enim obligatione, usuræ, quæ ex eo tempore, quo remissa erat obligatio, debentur, jam tanquam residuæ debentur, sive ex stipulatione, sive ex contractu b. f. *l. 32. §. 2. ff. de usur.*

V.

Partus quoque ancillæ, licet in fructu propriè non fit. §. 38. ff. de R. D. augetur tamen illo res alienata, uti cæteri fructus, restituendus est; si nempe ancilla prægnans fuerit alienationis tempore, vel tempore Judicij accepti. *l. 10. §. 21. l. ult. §. 4. h. t.* nam si mulier post alienationem concepit, & antequam ageretur peperit, Proculus ait nullam esse dubitationem, quin partus restitui non debeat. *d. l. §. 5. C. J. A. h. b. 8.*

VI. Non

VI.

Non referendæ huc libertatum dationes. Nam, aut in fraudem Creditorum libertates fuere datæ & L. Æliâ Sentiâ nullæ sunt, *pr. J. quib. ex caus. manumit. non lic.* aut competiære, & semel datæ non revocantur. *per §. 6. J. d. t. l. 2. quib. ad libert. proclam. non licet. l. 9. §. fin. de Minor. C. J. de h. t. §. 8. in f.* Nec facit in contrarium *l. 15. ff. h. t.* ubi libertates in fraudem Creditorum rescindi & revocari dicuntur, hoc enim abusivè & ratione simplicis facti manumissionis dici intelligendum est. Præterea revocari, rescindi, infirmari, in jure nostro multoties dicuntur, quæ sunt ipso jure nulla, ut in *l. 1. §. 1. in f. ff. de ferijs l. 1. & tot. tit. ff. qua sent. sin. appellat. rescindant. l. 43. §. 2. ff. de vulg. & pupill. subst. l. 5. C. de rescind. vendit.* quin & aliquid, quod ipso jure nullum est, rescindi dicitur, quando ipso jure & lege rescinditur, *l. ult. vers. sancimus: ibi, testamentum ipso jure evertat C. de liber. præterit. l. 4. §. 1. ibi, ipso jure rescindi. ff. de condit. & demonstrat.*

VII.

Bona allodialia & pecunia parata, quæ in præjudicium & fraudem Creditorum à Debitore in bona feudalia cummutata sunt, an ad objectum hujus actionis referre queant, quæritur? ex *l. 1. §. f. l. 2. & seqq.* dicendum quod sic, quia per hanc immutationem Dominium directum in Dominum sive Senioremem transfertur & alienatur. *2. Feud. 23. c. un.* cui translationi annexa est, in casu deficientium liberorum, consolidatio domini utilitatis, vel etiam successio infallibilis simultaneè investitorum, & Domini in eo hypothecati sunt. *Hartm. Pistor. p. 2. q. 20.* cui astipulatur Judicium Senatus Appellationum Elect. Sax. term. Trinit. anno 1622. in causa Creditorum, N. N. ut & Scab. Lips. mens. Jul. 1628, in causa

D 2

Hans



Hansen Schubarts / contra Peter Seyferts Gläubiger zu Crimzischau. Daraus so viel zubefinden / das Beklagter / mit der angezogenen Belehnung und gesamten Hand / sich nicht zu behelffen / sondern es wird dieselbige gestalten sachen / hinwiderum billich cassiret, und von des verstorbenen Schubarts Vermögen so weit dasselbige zu reicht Klägere ihre Forderung / und nach gestalt ihrer erlangten prioritet einer vor dem anderen befriediget. *B. N. W. Carpz. 1. Resp. 83.*

VIII.

Tandem quæritur, si plures sunt Creditores, in quorum fraudem res alienata est, & unus solus contra possessorem agat, an solida rei restitutio in hac actione veniat. Affirmativa quidem ex §. 6. quadammodo adstrui posse videtur, dum vult quod res restitui debeat, perinde ac si semper in Debitoris bonis mansisset. Verior tamen est sententia *Joh. Fabr. ad h. §. n. 25.* quod concludit, quod Actor tantum possit revocare, usque ad summam sui debiti, quæ sententia etiam Juri nostro convenientior est, *auth. Et qui C. de bon. autorit. Judic. poss.* quæ missionem in possessionem bonorum Debitoris usque ad mensuram debiti saltem permittit.

CAP. VI.

De Formâ & Requisite.

I.

Forma hujus actionis est legitima petitio & persecutio, *d. §. 6. J. de Act.* ut autem legitima hæc actio sit, quatuor vel maximè requiruntur (1.) ut is qui alienavit sit Debitor ejus qui petit traditionem, & fieri rei alienatæ restitutionem in statum pristinum, sive sit debitor ex contractu sive ex delicto, *vid. cap. 4. §. 2.*

II. (2) Re-

II.

(2) Requiritur ut Creditores immiſſionem impetra-
verint in bona alienantis, & factâ diligenti excuſſione
comperti ſint bona ſolvendo non eſſe. Quæ excuſſio
vel maximè eſt neceſſaria, nam ad hoc ut poſſit agi re-
vocatoria, requiritur, quod Creditores ſint damnifica-
ti, quia revocatio non admittitur, ſi ſufficientia bona
reperiuntur, cum ſit remedium ſubſidiarium, Sed quo-
modo poteſt conſtare eos eſſe damnificatos, vel frau-
dem habuiſſe eventum, niſi priùs excutiantur bona
Debitoris. Quod tamen limitatur in eo, ſi 1. Debitor
ſpeciem in fraudem Creditorum alienavit, tunc enim
ceſſat beneficium excuſſionis & revocari poteſt, remo-
tâ omni excuſſione, *Berlich. p. 2. Concl. 24. n. 65.* (2) Si
Debitor notoriè non eſſe ſolvendo conſtat. 3. Si
Debitor principalis eſt homo potens & Tyrannus, qui
facile conveniri non poteſt. 4. Si bonorum poſſeſſo-
res conventi à Creditoribus, negarint ſe bona Debito-
ris habuiſſe vel habere, nam convicti de mendacio
perdunt beneficium excuſſionis, &c. *vid. Jaſon. ad d.
§. n. 79. Brunnem. ad l. 1. C. h. t.*

III.

Hæc excuſſio ſi valere debet, illam Poſſeſſores non
ſaltem opponere debent. *Brunn. ad l. 1. C. h. t.* ſed etiam
ipſi ad illam quando fit, citandi veniunt, uti commu-
niter Dd. tenent, *in auth. hoc ſi debit. C. de Pignor.* Quo-
tiescunque enim fit actus, ex quo pars adverſa lædi
poteſt, tunc debent citari hi quorum intereſt. *l. 39. ff.
de Adopt.* & quando certi ſunt bonorum Poſſeſſores,
tunc nominatim debent citari, ſi verò incerti, ſufficit
ſi per publicum proclama generale citentur. *vid. An-
gel. ad noſtr. §. 6. n. 8. & Jaſon. ad eund. n. 84.*

D 3

IV.



IV.

(3.) Necessè est ut bona à Debitore sint alienata & quidem i. verè, *d. S. 6. & t. t. ff. & C. h. t.* si enim quis non verè alienasset, sed simularet se vendidisse, cum tamen non vendiderit, sed vel donaverit, vel retinuerit ad ludificandos Creditores, talis alienatio est ipso jure nulla *arg. l. 55. ff. de contr. Empt.* ubi dicitur nuda & imaginaria venditio pro non facta est habenda, & ideò nec alienatio ejus intelligitur, actus enim simulatus nullius est momenti. *l. 3. ff. de R. N. l. 6. C. si cert. pet. & plus valet, quod agitur, quam quod simulant partes. Myns. n. 38. Schneid. n. 53. 2.* non in fraudem Legis sed Creditorum sive hominum, illo enim casu alienatio non est valida, cum ea quæ contra leges fiunt pro infectis habeantur. *c. 64. de R. J. in 6. & l. 5. C. de LL.* Fit autem in fraudem legis hujusmodi actus, quando geritur inter personas jure prohibitas: ut puta si Tutor contractum faciat cum pupillo, vel Prodigus cui administratio bonorum interdicta est, faciat alienationem. In specie autem, quando & quomodo quis alienare dicatur, superius *cap. 3. §. 3. & seqq.* dictum fuit.

V.

Et tradita, tunc enim locum esse Paulianæ Imper. *in §. 6.* ait, si quis in fraudem Creditorum rem suam alicui tradiderit, quia traditionibus non nudis pactis dominia transferuntur. Benè autem notat *Wesemb. ad d. S.* sufficere traditionem vel veram vel fictam, nam revocatoria etiam tunc procedit, quando Debitor aliquid remittit, vel acceptum fert, quo in casu paria sunt tradere, & rem pro tradita relinquere, & in casibus, in quibus Dominium transfertur absque traditione, nulla traditio requiritur, ut exemplificat *Jul. Pac.* in eo, qui legavit rem suam in fraud. Creditorum.

VI. (4)

VI.

(4) Pro fundanda hâc actione requiritur, ut in fraudem Creditorum alienationis actus sit susceptus, quia cuilibet permissum est rem suam alienare, dummodo citra fraudem & noxiam Creditorum fiat, *l. 10. §. 15. ff. de his qua in fraud. Cred. Myns. n. 21.* & valet talis alienatio, etiamsi non possit satisfieri Creditoribus; sæpè enim de facultatibus suis amplius, quam in ijs est, sperant homines. *§. 3. f. q. & ex quibus caus. manumitt. non licet. Schneidevv. n. 52.* Sed quia fraudis interpretatio fit ex consilio & eventu, ideò quæritur, utrum requiratur fraus consilii, h. e. animus & propositum fraudandi, an verò tantum fraus eventus, h. e. damnificatio Creditorum, ut defraudentur vel damnificentur Creditores, sine animo malevolo & citra fraudulentam machinationem? Dd. communiter distinguunt, inter alienationem quæ fit ultimis voluntatibus, & quæ fit inter vivos: in ultimis voluntatibus v. g. legatis & fideicommissis sufficit fraus eventus, *Myns. n. 54.* nam legata nunquam præstantur nisi deducto ære alieno. Si verò alienatio fiat inter vivos, requiritur insuper fraus consilii sive animus & voluntas fraudandi, quia absque fraude alienationes inter vivos firmæ & validæ sunt. *Schneidevv. n. 55, 56. & seqq.* An & quando fraus & alienantis & accipientis requiratur *in cap. 4. §. 7. & seqq.* indicatum est.

VII.

Verum quia dolus & fraus non præsumuntur, si quidem quilibet bonus natura præsumitur donec probetur contrarium, ideò Creditores, hanc revocatoriam actionem intentate volentes, fraudem ante omnia probare debent, quia quilibet intentionis suæ fundamentum

mentum probare debet, & si nihil probaverit Reus absolvetur, etiamsi ipse contra nihil probaverit. *l. 4. C. de Edend.* Cum autem hæc probationis pars (cum excusio, quam factam esse quoque probare debet, tanquam factum extrinsecum, & quæ regulariter fit per Judicem, aut alias personas publicas, quibus Judex eam committit, facile probari possit) non parum difficilis esse videatur, cum facti sit & maximè in animo consistat, adeoque ex conjecturis & præsumptionibus ac bonis consequentiis, raro directò probari potest. Quales præsumptiones congescit, *Zafius in S. 6. nostr. n. 10. 15. Mascard. vol. 1. de Prob. concl. 815. cum seqq.* Ex quibus potissimum hæc sunt 1. fraude alienasse creditur quando Creditor probaverit Debitorem scivisse se habere Creditores, & bona sua non sufficere *l. 15. & ibi Bart. ff. h. t.* 2. si Debitor omnia sua bona inter vivos alienaverit, cujus ampliaciones *vid. apud Jason. ad d. S. n. 38.* 3. quando Debitor alienat sua bona in conjunctam personam, *vid. Brunnem. ad l. 3. C. h. t. in f. & ab eo cit. Mevius P. 3. Decis. 14. n. 1.* 4. quando alienatio fit clam, remotis arbitris. 5. quando bona alienantur sine Decreto Judicis vel autoritate Superioris, in ea causâ, ubi requiritur Decretum Judicis, vel Superioris autoritas, &c. *vid. cit. autores.*

VIII.

Forma ipsius Libelli hæc esse posset. P.P. vor einem löblichen Gerichte allhier erscheinen Sempronij Creditores, mit vorbehalt aller Rechtlichen notturfst/insonderheit mit oberflüssiger Beweisung unbeladen zu seyn/ und bringen bey demselben nicht zwar in gestalt eines zierlichen Libels, sondern allein in warhaffter Geschichts-erzählung/ und schlechtem begehren/ gegen und wider Cajum, das obwohlen in Rechten heilsamlich ver-

versehen / das alle betriegliche und bloß zum nachtheil
 der Gläubiger vorgenommene verdusserung hinwiederum
 zu hinderziehen / auch derjenige / der davon empfangen
 / solches widerum zu ruck zugeben / angehalten wer-
 den soll. So hat doch / dieses ungeachtet / Cajus die bloß
 zu dem ende / damit wir Gläubiger / zu unserem gebüh-
 renden Rechte nicht kommen möchten / und uns also ein
 mercklicher Schad und Nachtheil zugezogen wurde /
 (wie es dann der Augenschein nach geschehener erlang-
 ter immission, genugsam erwiesen) ihme von unserem
 Schuldman Sempronio, theils verkauffte / theils ver-
 schenckte Güter / unser fleissiges anmahnen / und güt-
 liches ersuchen hindan gesetzt / sich bishero in der güt-
 obbemelte Güter zu restituiren geweiheret. Gelanget
 solchem nach Klägern gehorsamlich zu mahlen rechtli-
 ches suppliciren und bitten / nach gethaner vollständi-
 ger und richtiger Antwort / zu erkennen und außzuspre-
 chen / daß alles dasjenige was zwischen unserem Schuld-
 man Sempronio und beklagten Cajo, zu unserem Schas-
 den und Nachtheil geschehen / in vorigen Stand zu se-
 zen / und das Beklagter die von Sempronio Rauff und
 Schänckungsweis empfangene Güter, cum omni
 causâ & fructibus tam perceptis quam percipiendis,
 auß zu antworten schuldig seye. Solches und was son-
 sten gelegenheit nach / am besten / zutrüglichsten und
 nützlichsten / nach gemeinen Rechten / Statuten und Ge-
 wohnheiten gebetten werden können und sollen / wollen
 Klägere gesucht und gebetten haben. Ein Löblich Ge-
 richtester bester massen implorierende. Salvo jure addendi,
 minuendi, &c.

Quod si adversus ipsum Debitorem hæc Actio in-
 stituenda, ita petendum: Weil dann Beklagter so bes-
 trüglicher weise mit uns Gläubigern umbgegangen /

E

also



also werden wir verursacht / ein Löblich Gerichte anzurufen / daß es Beklagten in verhafte nehmen / und in den Schuld-Thurn legen wolle / etc.

CAP. VII.

De Judice competente.

I.

Judex competens hujus Actionis qui nam sit? non immerito jam videmus. Dicendum itaque cum Actio hæc in rem concipiatur, uti superius *cap. 1. th. 8. 9.* satis ostensum fuit, Forum reum sortiri tum ubi res alienata sita est, (wo sich Klagen erheben umb die Güter / wo sie gelegen) *t. t. C. ubi in rem act. exerc. deb. l. unic. C. ubi de possess. agi oport. l. un. C. ubi de hered. ag.* quamvis neque domicilium ibi habeat neque ibi reperiatur in quem res hæc à fraudatore translata fuit. Non enim hic tam personæ quam rei quæ petitur, & ratione cujus Possessor Jurisdictioni illius Judicis subijcitur, ratio habetur.

II.

Tum Domicilij, quod duplex, vel naturale vel accidentale uti *Dn. Carpz. 2. Resp. 21. n. 3. cum. Ant. Fabr. in Cod. l. 9. tit. 29. def. 24.* vel uti *Donellus lib. 17. com. 12.* distinguit, Domicilium Originis vel Habitationis. In Domicilio Originis hic noster forum sortitur si ibi reperiatur, licet domicilium alibi habeat. *Gail. 2. observ. 36. n. 7. & Sichardus in. C. de Jurisd. jud. n. 11. e. g. si Pater Possessoris nostri sit Ulmensis, & ille Possessor nimirum, illuc casu veniret, licet alibi habeat Domicilium, tamen ibi potest conveniri. quod tamen usu hodie non obtineri docet Paurmeist. de Jurisd. 2. c. 9. n. 47. tit. Caler. Process. exec. p. 2. c. 1. n. 17. de quo Domicil. ulterius vid. Dn. Struv. Exerc. l. X. §. 17. 18. & seqq. item Carpz. 2. Resp.*



2. *Resp.* 21. In Domicilio habitationis tunc demum forum noster sortitur, si ibi habitat eo animo ut ibi perpetuò consistat, secund. *Donell. l. c. ex l. 7. C. de Jncol. l. 203. l. 190. de V. S. l. 65. ff. de Jud. Geil. 2. obser. 35.* qui animus constat (1.) ex expressa inhabitationis declaratione, cum ipsâ inhabitatione & facto conjunctâ. *l. 20. l. 27. S. 1. l. fin. S. 5. ad Municip. Mascard. de Probat. Vol. 1. concl. 534. n. 3. Geil. c. l. n. 7. Carpz. 2. Resp. 21. n. 15.* (2) si in Civitate aliquâ impetraverit Jus Civitatis, quod das **Burger Recht** vocamus ac ibidem habitaverit. *Decius, Consil. 283. n. 11. Zanger. de Except. part. 2. cap. 1. n. 54. Hahn. ad Wesenb. w. tit. de Jud. n. 16.* (3) si talis Possessor & bona & Domum Uxoris post nuptias intrat, wann der Mann zum Weib einfreyet / oder zu ihr einfähret; quo facto & voluntate suâ ibi domicilium constituit. *Hillig. ad Donell. l. 17. com. 12. Lit. L. Carpz. l. c. n. 19.*

III.

Non verò si in Civitate aliquâ focum & ignem teneat h. e. sein eigen Feuer und Rauch hält. *Franzk. Resp. 16. n. 26. Mascard. de prob. Vol. 1. concl. 434. n. 26. Zang. d. cap. n. 18. aut conduxit prædium in Civitate. Brunnem. ad l. 1. ff. ad Municip. n. 4. cit. Domin. Bardili concl. Theor. pract. Exerc. 41. §. 9.* uti etiam Scabini Lipsiens. ad consult. Martini Schöpfens / zu Hoyerswerda mens. Sept. An. 1621. hiesc pronunciarunt verbis: Seit ihr Barthol: Grabmann daselbst zu belangen vorhabens. Ob nun wohl derselbe ein ganzes Jahr sich albereit des Orts auffgehalten / im Hauß gewirret / und darinnen Feuer und Rauch gehalten / und seine Haushaltung geführt. Daserf aber dennoch seine Meinung nicht gewesen / allezeit daselbst zu verbleiben / sondern sich widerum nach etlicher zeit auf seine Güter zu begeben / und er also sein domicilium zu Hoyerswerda nicht erlange

hätte/te. So möchte Er auch nach Gelegenheit diß falls/
 daselbst vor Gericht zu stehen/und auff euer Klagen/Ked
 und Anwort zu geben nicht angehalten werden. Es wäre
 dann/das er das Burger-Recht daselbst erhalten / oder
 auch zu seinem Weib / so des Orths eigenthumliche
 Güter hat/ eingetretet / und also ihr Domicilium er-
 langt hätte/ auff den Fall könnte er daselbst beständiger
 weise belangt werden. B. R. W.

IV.

Hoc forum Domicilij est generale & cum superiori
 speciali concurrat, & sic in potestate Actoris est, ubi
 Possessorem convenire velit. *l. 19. §. f. ff. de Jud. c. 17. c.*
13. de Foro comp. vinn. 1. quast. 18. quod tamen notan-
 dum, quod uno electo & citato ad id Reo, propter
 præventionem variare non liceat. *l. 30. ff. de Jud. Geil. r.*
observ. 11. n. 1. Myns. 4. obs. 26.

V.

Quid si fortè vogabundus sit ob alienationem no-
 stram conveniendus? dices habere Domicilium Origi-
 nis & ibi posse conveniri; sed hoc non attenditur, cum
 nemo in loco Domicilii naturalis conveniri possit ni-
 si ibi inveniatur. *Geil. d. obs. 36. n. 11. Zanger. d. cap. 1. n.*
74. quid ergò dicendum? hoc dicendum ibi cum con-
 veniri posse ubi reperitur. Bona responsio, quid si E,
 nullibi reperiat? tunc in loco ubi versari consuevit,
 aut in supremo Judicio curandum est ut citetur. Atqui
 sic non poterit ei insinuari citatio. Hoc non est neces-
 se, cum hic per publicum proclama sive Edictum in
 loco publico affigendum, requirendus foro, ut se ad
 respondendum sistat. *Geil. l. 1. observ. 57. Obrecht. de Ju-*
risd. lib. 3. cap. 11. n. 42. aut si bona alicubi habeat, ibi ci-
 tatio affigi, & à Magistratu illius loci Curator bono-
 rum, qui defensionem ejus suscipiat, dari debet. *Felin.*
in l. fin.

in l. fin. de foro comp. Zanger. d. l. n. 102. & qui hos citat.
 Dn. Struv. Exerc. IX. §. 37.

CAP. VIII.

De Fine & Effectu.

I.

Antequam ad finem hujus dissertationis deveniam, in Finem hujus Actionis inquiram necesse est. Finis autem hujus actionis est, ut Creditores consequantur id, quod malitiosè à Debitoribus alienatum fuit. Semper enim hæ actiones Prætoriaræ id intendunt, ne rigor juris Civilis noceat nimis, & ideò præ se ferunt æquitatem, ut nimirum nemo cum alterius damno fiat locupletior. l. 74. l. 208. de R. J. & fraus atque dolus nemini profit. l. 17. l. ult. ff. de dol. mal. Si vera præcesserit alienatio non simulata. Et si actus alienationis factus sit in fraudem Creditorum & hominum, non verò si in fraudem legis, uti dictum cap. 6. th. 4.

II.

Effectus est Rescisio fraudulentæ factæ alienationis, plenissimaque ejus restitutio cum omni fructu in pristinum statum, quod malitiosè à Debitoribus alienatum fuit. l. 10. §. 22. ff. h. t. & quidem, si quod pretium ex solverit Emptor, repetere istud aliter non possit, nisi ex eodem, substantia Debitoris facta fuerit locupletior, quia si is, qui revocat contractum teneretur, hoc casu reddere pretium emptori, rarò consuleret suæ indemnitati, & non evitaret defraudationem, sive damnificationem, sed quod una manu daretur, alterâ ei detraheretur l. 7. §. 8. ff. h. t. Itaque non solum Dominia restituuntur, & res ipsæ, verum obligationes & actiones restaurantur.



l. 14. ff. eod. imò præter rescorporales & incorporales, mobiles & immobiles. *l. 10. §. 15. ff. eod.* ac omnis accessio & causa. *d. l. 10. §. 20. l. fin. §. 4. eod.* uti videre est *cap. V. §. 1. & seqq.*

III.

Et non aliter, ac si res nunquam alienatæ fuissent, sed semper in bonis Debitoris mansissent, ut habet *§. noster 6.* ratio quia sicut in actione Publiciana vindicatur res nondum usucapta, quasi jam usucapta esset, & per rescissoriam Actor petitrem in veritate usucaptam, ac si usucapta non esset; ita per hanc Paulianam actionem revocat Creditor res alienatas, ac si alienatæ non fuissent *Myns. n. 12.* Ratio rationis quia Prætor alienationem pro imperfecta habet, perinde ac si facta non fuisset, unde fictio juris idem operatur ac veritas. *l. 44. ff. de Excus. Tutor,* imò fictio Juris prævalet veritati, quia nos eo deducit ubi inclinat æquitas. Exinde tamen nullo modo statuendum, uti quidam qui ob mentis suæ caliginem, in mentem verborum *d. §. 6.* penetrare haud valent, mentiri aliquando, si ita ex usu partium litigantium sit, jura nostra permittere, imò jubere, putant. Neutiquam, Verbis enim his Imperator formulam hujus actionis proponere non voluit, sed potius actionis hujus naturam *παχυλῶς* exhibere, nam qui utitur ea, in effectu hoc agit, ut tantundem impetret, quasi nunquam revera fuisset tradita; sed non disertè in libello ita loquitur.

IV.

Quæ omnia praxis optimè confirmat. Respond. facult. Jurid. Lips. m. Jun. anno 1629. ad consult. N.S. Zur Neustatt an der Orta hat erwöhltter N.S. bey wâhrendem Concursum bewegliche Gütter euch und anderen Glaubigern zum Nachtheil umb ein geringes Geld verkaufft und distrahirt: ob wohl auch sonst die Veräußerung

der

der Güter dem Eigenthums - Herren nicht verboten :
 Dennoch aber / und dieweil solches von N. S. gefährlicher
 weise / dolosè und in fraudem Creditorum geschehen /
 die jenigen Emptores und Besizer auch / welche die Güt-
 ter erhandlet / umb solchen Betrug Wissenschaft gehabt /
 denselben beliebet / üd also auf seiten des Verkäuffers und
 Käuffers Betrug vorgangen / allermassen solches zu
 recht versehen : so wäret Ihr und andere gläubiger a-
 ctione Pauliana die Veräusserung zu sechten und umbzu-
 stossen / auch an solche Güter Euch nochmahls gebühr-
 lich zuhalten / wohl befügt. V. N. W. Philipp. Us. Pract.
 §. 6. de Act. Eclog. XLV.

C A P. IX.

De Contrariis.

I.

Contemplavi quid sit nostra hæc Actio, Ostendi qui-
 bus adversusque competat, examinavi etiam causas.
 Nunc bono cum Deo tandem etiam videbo quando
 hæc Actio cesset, & c. seq. ult. que sint affinia. Cessat hæc A-
 ctio i. si ea, que pro fundanda eade desiderari dixi, deficiunt.
 Sivè ergò eventu solo, non intentione, alienatione inter
 vivos, fraus facta fuerit, sive acquirendi conditionem
 amiserit & c. frustra in reum movebitur hæc Actio.

II.

(2.) Deinceps, nondatur, si consentientibus Credito-
 ribus aliquid gestum fuerit l. 6. §. 9. h. t. si Debitori qui
 in fraudem alienavit hæres existat, qui solvendo sit, &
 contra aditionem hæreditatis restitutionem in inte-
 gram non impetret l. 10. §. 10. l. 17. l. 14. ff. de his que in
 fraud. Credit. l. 1. C. cod. vel etiam si sit aliquis, qui defendat
 fraudatorem, quandoquidem, inquit Jctus, nemo du-
 bitat



bitat, solvendo videri eum, qui defenditur *l. 95. de R. J.* quando autem est solvendo fraudator actio hæc non datur. Item si quis post mortem suam restituere rogatus, restituat vivus. Si Creditores secuti sunt fidem ejus, qui fraudatori successit *l. 10. §. 10. & si verò passi ff. eod.* Sic etiam perimitur Confusione, quando Creditor in cujus fraudem facta est alienatio, fraudatori succedit, nam jure successionis evenit, ut uterque prouna eademque habeantur Persona, atque sic contra se ipsum quis experiri non potest. *vid. C. J. A. h. 4.*

III.

Cessat insuper hæc Actio in Emptore sub hasta, qui pretium semel solvit, nec à Creditoribus, quibus ex pretio haud satisfactum, conveniri potest. *Dn. Carpz. c. 28. def. ult.*

IV.

Exulat denique Paulianum Judicium propter lapsum temporis, si nimirum intra annum non fuit intentatum *l. 1. pr. l. 10. pr. ff. h. t.* qui annus qualis intelligatur, & quo die currere incipiat. *vid. cap. 1. 14. & seq. &c.*

CAP. X.

De Affinibus.

I.

Affinitatem habet cum nostra Pauliana, Actio Calvisiana & Faviana, ita tamen ut in multis adhuc invicem differant, & discrimen inter eas maneat, ut adeo abstinendum sit à *Wesenb. in π. h. t. n. 1. & ex eo Palatij Comm. ad J. S. 6. de Act.* sententiâ, qui easd. confundit & Paulianam Calvisianam aliquando dici censet.

II.

Differunt autem primò in hoc, quod Actiones Calvisiana

visiana & Faviana sint personales. *l. 1. §. 26. ff. de his que in fraud. Patron.* hæc verò Pauliana realis, uti superius, *cap. 1. §. 7.* demonstratum fuit. Deinde Calvisiana & Faviana Patrono tantùm competunt. *l. 1. ff. que in fr. Patr.* illa quidem, liberto testato. *l. 1. §. 6. vs. in cat. eod.* hæc verò, intestato mortuo. *l. 3. §. 3. d. t.* Pauliana verò non nisi Creditoribus datur qualis non est Patronus. *l. 6. in f. ad. l. Corn. de Fals.* accedit quod Pauliana dolum persequatur, ac proinde contra Emptorem bonæ fidei non datur. *l. 6. ff. que in fraud. Credit.* Faviana verò & Calvisiana adversus bonæ fidei emptorem datur *l. 1. §. 4. ff. si quid in fraud. Patron.* reliquas differentias vide apud Autores.

III.

Ad remedia affinia refero etiam, actionem Rescissoriam, quâ de *in tit. π. quibus ex caus. Maj. item §. 5. J. de Act.* sicut enim ibi Prætor ex Edicto suo subvenit illis, qui propter absentiam usucapione vel alio modo ex bonis suis aliquid amiserunt: sic etiam à Præto- re introducta fuit Pauliana, ad revocanda à Fraudatore in fraudem Creditorum alienata. Item interdictum Fraudatorium, quod tunc sibi propriè locum vendicat, cum quis non quidem rem suam, sed alienam in fraudem alterius alienat, ut patet in exemplo Tutoris alienantis res Pupilli. *l. 96. pr. ff. de solut. ibi gl. & Bart. & c.*

*

*

*

Plura essent quæ de prænobili simul ac spinosâ hâc Materiâ tradi possent, sed angustiiori temporis spatio circumscriptus, hisce finio, & si alicubi erraverero Euphormionis illud in *Satyr. sui lib. 1.* solatio

F

mibi

mihī erit, habet hoc triste mortalitas privilegium ut aliquando liceat peccare. Interim D. T. O. M. cujus Auxilium & ante opus inchoatum imploravi, pro gratiosâ suâ assistentiâ immortales quas debeo, ago gratias.

Ipsi sit

Laus, Honor & Gloria in sempiterna
Secula!



COROLLARIA.

I.

Malè statuit c. eycitis: dist. 88. nulum Christianum Mercatorem esse posse, sed si esse voluerit, proijciendum esse de Ecclesia. Nisi fortasse de Indulgentiarum nundinationibus Tezelianis, de quibus Sleid. lib. 1. id accipias. Hoc enim sensu totum illum Canonem totâ mente amplector.

II.

Admodum superstitiosum est, quod Imp. Leo Novell. 58. usum farciminum graviori pœnâ, nempe bonorum publicatione, flagris & exilio punit.

III. Do-

III.

Dogma illud, quo dicunt Pontificij B. Virginem θεοτόκον à peccati originis labe immunem esse, per l. 8. ff. de pignorib. & Hypoth. ab Emund. Merillio Professore Bituricensi, malè probatur.

IV.

Ad Antinomias in Jure tollendas expedita quidem est Glossa responsio ad l. 5. C. in quib. caus. restit. in integr. verb. quærere: biberat hic Justinianus & non recordabatur de illis Legibus, sed minus honesta est aut honorifica.

V.

Malè Baldus l. 10. C. de Erog. Milit. ann. qua Imperatores Honorius & Arcadius iussit per omnes Provincias, cunctis Numeris & Militibus, à Novembr. mense de Novo Vino annonam dari, quoniam erogatio Veteris dispendiosa videatur, pro universali accipit, putans præcipi hic potationem Vini Novi & omissionem Veteris.

VI.

Sponsio illa, das der Stattschreiber zu

*N. weder Lesen noch Schreiben könne,
validia non est.*

VII.

*Furti tenetur, qui ideò rem amovet, ut
eam alij donet. Vulgò der das Leder stihle
und gibt die Schuh der Gotts willen.*

VIII.

*Sunt Novella qua preter Prefationem
& Epilogum nihil habent: habentes itaq; Ca-
put Pedesq; Ventre carent.*

IX.

*Paulum, Pomponium, Ulpianum, &c.
versus planè incogitanter scripsisse, leges no-
stra docent.*

F I N I S.







ULB Halle 3
004 081 781




107

Sb.







176/6

A9 27

1681, 2

C. J. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
EO QUOD JUSTUM EST
CIRCA
REVOCATIONEM
ALIENATIONIS IN FRAU-
DEM CREDITORUM FACTÆ.

QUAM
PRÆSIDE TRINUNO DEO
EX DECRETO ET AVTHORITATE
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI
JURISCONSULTORUM ORDINIS

IN PERANTIQUA RAURACORUM
UNIVERSITATE

PRO
LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE ET
LEGITIME CONSEQUENDI,
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBIICIT

JOH. THOMAS RuEPPECHT,
MEMMINGENSIS.

DIE APRILIS A. O. R. M. D. C. LXXXI.
H. L. Q. C.

BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHL.

27

